

MEISNE

1019

OLL

NIEN-





Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Comparati mihi  
Witzeb.  
p. mat. 12. q.  
p. hinc. 4. q.  
Al. Joh. Reibel.  
1624.



**CHRISTOLOGIAS SACRÆ**

Disputatio Trigesima Quinta,

De

**Christi Virtutibus**

ET

**MIRACULIS.**

*Quam*

Annuente Θεολογίας

SVB PRÆSIDIO

**Dn. BALTHASARIS MEISNERI**  
S. S. Theol. D. & P. P.

*In privato Collegio ad disputandum*  
*proponit*

**M. JOHANN-NICOLAUS**  
SCHÜLIN Gnodstadiensis Fr.

*Habebitur ad diem 21. Novemb. horis pome-*  
*ridianis*

In auditorio minori.

**WITEBERGÆ**

*Johannes Gorman excudebat,*

Anno cl. Is CXIX.



CHRISTOLOGICA SACRA

Disputatio Tigellina Quarta

De

Christi Virtutibus

ET

MIRACULIS

Quarta

Applicatio

ad Praesentia

Dr. HALLTHASARIUS M. FISCHER

1717

In Privato

M. JOHANN. NICOLOAI

Scrupulis

Revisum et approbatum

1717

In aedibus

WILHELMI

Johann. Hermann

anno 1717





CONTINUATIO.

**N**on minus vere quam eleganter Ambrosius: Lib. 6. epist. Legitima inquit, circumscriptio est, ut consideremus, sicut in DEI forma nihil Christo defuit, divina natura & plenitudinis: sic in illa forma hominis nihil ei defuisse, quo imperfectus homo iudicaretur. Leo in epist. 10. ad Flavian. c. 3. Tenet sine defectu proprietatem suam utraq; natura. Et sicut formam servi, DEI forma non adimit: Ita formam DEI, servi forma non minuit. Unigenitus enim filius DEI (quippe, qui veram, integramq; sanctam tamen, & a peccatorum sordibus liberrimam humanam naturam Spiritus sancti superventu, absq; omni naturarum & proprietatum confusione in *ὑποστάσει* unitatem assumpsit) ob Adami lapsum neq; reus, neq; in mente ejus caligo, neq; in voluntate perversio, neq; in corde à Lege DEI, cui perfecte satisfecit, aversio fuit. Reliqui homines labore & exercitatiole, attentioneq; sepe requirunt affectionem ad bonum, & aversionem à malis: Christo vero naturalis quadam est conjunctio ad bonum, & abalienatio ab iniquitate, ait Basilus. Naturalis igitur in Christo permansisse integra constat; cui perfectioni duplex DEI gratia; quarum altera Unctio; altera Habitualis nuncupatur, accessit. De illa superius; de hac jam tantum, quantum quidem thesion angustia patietur, acturi 1. in genere; An sit; 2. quid sit. 3. in specie de virtutibus. 4. Spiritus sancti donis. 5. miraculis dicemus, quibus



6. meditatio denique practica finem imponit. DEVS ducat nos in omnem veritatem.

THESIS I.

MEM-  
BRUM I.

part. 3. q. 7.  
art. 1.

Rectè Philosophus l. 2. post. analy. c. 1. ζητῶμεν τί ἴσται, διότι, εἰ ἔστι, τί ἴσται. τὸ δὲ ζητῶμεν τί ἴσται, μὴ ἔχοντες ὅτι ἴσται, μὴδὲν ζητῶμεν ἴσται, text. 8. Nos hujus effati haut immemores, an & cur ejusmodi, quâ de nobis hic sermo est, Gratia habitualis detur; dicemus, quam Thomas propter tria asserendam esse censet: 1. Propter animæ illius ad verbum DEI unionem.

II. Receptivum enim, quanto propinquius est cause influenti, tanto magis de ipsius influentia participat. Iste autem gratiæ influxus est à DEO, ideoq; maximè oportuit, ut anima illa propter unionem personalem divinæ influxum gratiæ reciperet.

III. 2. Propter nobilitatem illius animæ, cujus operationes oportebat propinquius attingere ad DEVM per cognitionem & amorem, ad quem necesse est elevari naturam humanam per gratiam.

IV. 3. Propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum. Christus enim mediator DEI & hominum est, ideo oportebat, quod haberet gratiam.

Vazquez to- V. 4. Ut humanitas Christi haberet in se principium proprium elicendi opera supernaturalis ordinis, & ea non eliceret solo auxilio supernatu-  
mo 1. in tert. par. Thom. rali;



rali; quia talis habitus naturalis sit simpliciter ad  
elicienda talia opera; sed ut humanitas ea elice-  
ret, per proprium principium sibi inherens natu-  
rale, & operaretur per modum causae principalis  
per inherentem sibi formam.

VI. Accuratè autem hic distinguenda sunt, quæ  
humanae naturæ in Christo subjective,  
formaliter & habitualiter insunt, a divinae  
naturæ proprietatibus, quas assumptæ na-  
turæ in persona Filii DEI, cum qua est  
unum ὁμοούσιον, realiter communica-  
tas esse profiteamur.

VII. 1. Hæc ab unione ἁποσαλικῆν arctissimo ne-  
xu, qui est inter causam & effectum, dependent:  
Illa inter consecutaria potius & χερσισματὰ  
quàm effecta numerantur. 2. Hæc in Christo  
precedunt; Illa non temporis quidem, sed naturæ  
& intellectus ordine sequuntur.

VIII. Cujus assertionis duæ potissimùm sunt ra-  
tiones. 1. Quia dona habitualia anime Christi,  
non minùs à Patre & Spiritu sancto quàm λόγῳ  
data sunt, Psal. 45, 8. Iob. 3, 34. Esai. 61, 1. Luc. 4,  
v. 18. Act. 4, 27. Neq; tamen duabus illis personis  
humana natura ἁποσαλικῶς unita creditur.

IX. 2. Unio τῷ λόγῳ cum humana natura per-  
sonalis statim ab ipso conceptionis primordio fuit  
perfectissima: Dona autem habitualia non omnia  
semper perfectè habuit, id quod in progressu pa-  
rescit.



MEM- X. Εὐόντες ἵ ὅτι Ἰσὶ, τί Ἰσὶ ζήτῳν, id est, Post-  
BRUM II. quam esse rem nobis compertum est, illud proximè  
Dn. Chemn. sequitur, ut quærat<sup>ur</sup> quid sit Aristot. l. 2. post Anal.  
in lib. de 2. c. 1. t. 1. Sunt ergo dona illa, qualitates seu habi-  
nat. c. 20. tus, ipsi humanitati formaliter & subjective in aut  
pag. 124. b. secundum se inherentes, quibus informatur &  
126. b. perficitur, ut possit esse ὀργάνον habile, idoneum  
ac sufficienter dispositum, per quod & cum cuius  
communione ac cooperatione divina potentia &  
λόγῳ divinae majestatis suæ operationes exercere  
& perficere queat.

XI. Si enim divinitas Sanctis per inhabitationis  
gratiam (unde Ἰείας, Δύσως κοινῶν, 2. Pet. 1.  
v. 4. dicuntur) tanquam lumen verum virtutum  
suarum radios spargit & diffundit in Sanctos, &  
tanquam vivus fons bonorum suorum rivus in-  
fluit & effundit in credentes; multò plenius &  
perfectius illa in ea carne fieri statuendum est, in  
qua tota plenitudo Deitatis ὁμοιωτικῶς in-  
habitat.

XII. Unde & nomen sortita sunt isthæc dona: Gra-  
tiæ enim dicuntur à termino à quo, quia gratis  
data & à gratia Unionis profecta sunt; Habi-  
tuales verò à termino ad quem, quia habitus sunt  
in anima existentes, per quos Christus quâ homo  
multa poterat, quæ alioquin solis natura.ibus viri-  
bus præstare non potuisset.

MEM- XIII. Dividuntur autem illa dona (ut rem propiùs  
BRUM III. inspiciamus) à Scholasticis, in gratias habitua-  
les & in dona Spiritus. Illas proprie vocant vir-



tutes, quibus homo sit gratus DEO, uti est; fides, spes, caritas: Dona vocant reliqua, quae vel animam vel voluntatem perficiunt.

XIV. Quamquam permixti haec confundunt, & omnia bona supernaturalia animum spectantia, modo gratias habituales; modo dona Spiritus vocitant. Si enim consideres a quo sint, dona sunt Spiritus, omnia etiam gratiae: si quid sint in anima, sicut habitus virtutum insunt. Et ita si utrumque conjungas, fuerint gratiae habituales, seu habitus insunt à Spiritu sancto illis gratiis.

XV. Ex quibus taliter dicitur: Omnia assumptae Christi naturae tribuenda esse, quae ad perfectionem ejusdem necessario requiruntur.

XVI. Hinc ad quaestionem: Utrum in Christo fuerint virtutes cardinales? Prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia, et responsio difficilis habet est. Sicut gratia respicit essentiam animae, ita virtus respicit ejus potentiam. Et sicut potentiae animae derivantur ab ejus essentia: ita virtutes sunt quaedam derivationes gratiae. Quamvis autem aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus. Gratia Christi vero fuit perfectissima. Ergo ex ipsa processerunt virtutes ad perficiendum singulas animae potentias, quo ad omnes animae aditus. Et ita Christus habuit omnes virtutes. Thom. 2. p. 3. q. 7. art. 2.

XVII. Fidem proprie dictam Christo non tribuimus. Nam cum omnis habitus ab objecto spe-



ciem accipiat, & fidei obiectum sit ἐπιζομένων  
ὕποστασις καὶ πραγμάτων ἐλέγχου &  
βλεπομένων. Hebr. 11, 1. efficitur, Christum, qui  
per scientiam beatam DEVM videt per essentiam,  
fidem, quæ ad solos viatores, quæ tales, pertinet,  
habere non potuisse.

XIIX. Duo præterea in quovis habitu observatio-  
nem probe merentur. 1. Materia circa quam  
versatur aliquis habitus. 2. Formale ejusdem  
objectum; alia hujus, alia illius est ratio. Illa  
non absuit à Christo, qui sacrosanctam Trinita-  
tem, & omnis cœlestis sapientie mysteria optimè  
cognovit: Hoc prout materia illa fidei abstractum  
est formaliter; puta, quatenus Trinitas est quid-  
dam non evidens, eatenu Christum mens DEVM  
per essentiam videns, circa hanc materiam non  
versabatur, id est, DEVM non videbat per specu-  
lum & ænigma 1. Cor 13, 2.

XIX. Inquis: Ergo aliqua Christo detrahatur  
perfectio? Resp. minime verò: sed imperfectio,  
quam ratio & natura fidei includit, ab eo remo-  
vetur. Qui conspicillis caret, cum ijs non egeat,  
estne infelicioꝝ eo, qui ob radiorum, quæ vocant,  
visivorum imbecillitatem, ejusmodi adminiculo  
opus habet? non puto.

XX. De spe idem ferè judicium. Nam us  
Fides est rerum, quæ non videntur; ita spes est ea-  
rundem, quæ non habentur, Rom. 8, 24 Et re-  
spectu quidem objecti primarii, quod est  
DEVS, eo ne in ipso quidem mortis agone, anime  
Chri-



*Christi frui desit: Respectu secundarii: si  
nimirum per spem cuiusvis auxiliij à DEO pro-  
missi expectationem intelligimus: ea non est alie-  
na à Christo, quem hoc sensu liberationem à ma-  
lo, resurrectionem & corporis gloriam sperasse ni-  
hil quicquam vetat, Psal. 31. 1.*

*XXI. Queritur hoc in loco: An ille spei actus,  
quem tribuimus Christo, profectus fuerit  
ab habitu? Consequeretur enim aliàs, ipsum  
fuisse imperfectum, utpote non ex virtute. Id quod  
cum Christi perfectione pugnat. Si autem ab ali-  
quo habitu processit, ipsissimam spei virtutem fu-  
isse necesse est. Resp. 1. Actum etiam tunc esse per-  
fectum, quando procedit à principio aequè benè me-  
livoè disposito, quàm si per habitum informetur.  
Nam ad gloriam corporis spectandam melius est  
anima disposita, cum iam habet gloriam, quàm si  
hujusmodi gloriã destituta haberet virtutem spei  
Theologicam. Certius enim est eum, qui gloriam  
anime habet, consecuturum etiam gloriam corpo-  
ris, quàm qui virtutem spei habet, & nondum  
gloriam anime. Quid? quòd 2. unus vel alter  
actus etiam à potentia nuda sine habitu aliãq;  
dispositione soleat aliquando satis perfectus pro-  
duci.*

*XXII. Quae mentem perficit, est scientia vel sa-  
pientia, quam prater increatam illam, quae Deus  
est, triplicem statuimus, 1. Beatam. 2. Infu-  
sam. 3. Aquisitam vel Experimentalem.*

*A 1*

*25. Qui*



XXIII. Qui solam eternam in Christo agnoscunt, aut animam rationalem ei adimunt, aut imperfectam, quippe operatione exutam, relinquunt.

XXIV. Quamvis enim anima Christi per unionis gratiam beatitudinem increatam consecuta sit in persona: non tamen propterea spolianda est beatitudine creata in sua natura, ad quam scientia & sapientia requiritur. Actus enim unius naturae non potest esse aliterius. Et cum λόγος assumpti naturam λογικῶν, θελητικῶν καὶ ενεργητικῶν, assumpti atque δυνάμιν intelligendi, volendi, & operandi. Mens enim ἀσοφία non est mens, ei γὰρ ἀενέργητος, καὶ ἀκίνητος καὶ ἀνύπαρκτος πάντως.

XXV. Est autem scientia beata, quae ut reliqui beati ad caelestis vitae gloriam translati, DEI visione, in qua summa beatorum gloria & felicitas posita est, fruitur. Vel: Quae agnoscit verbum & res in verbo.

XXVI. Quae tamen omnium, quotquot unquam fuerunt, aut etiam sum futuri sunt, hominum scientiam longo post se intervallo relinquunt. Quod enim arctius unita est anima Christi τῷ λόγῳ, qui fons est omnis sapientiae & scientiae: haec plenius recipit lumen illud cognitionis, quam ceteri beati. Nam perfectio cognitionis non solum ex parte cogniti, ratione mediij, sed etiam ex parte cognoscentis, ratione potentiae vel habitus spectatur.

XXVII. Quid autem ad ignorantiam, quam Christus ipse Mare. cap. 13. v. 32. profectus est



est, respondendum? Id ipsum, quod Hilarius  
L. 10. de Trin. Profectio nescite dici, non est igno-  
rationis infirmitas, sed tacendi dispensatio. Vel  
per acquisitam scientiam et infusam potuit igno-  
rare ea, quae juxta beatam scivit.

XXIX. Scientia infusa sive indita est, per quam  
cognoscit res in propria sua natura per species in-  
telligibiles menti humanae proportionales.

XXIX. Hec scientia actualis non est, sed ha-  
bitualis, quippe subjecto recipienti congrua. Ita  
enim comparata est animae humanae natura, ut  
quandoque actu, quandoque potestate intelligat, inter  
quae est medius habitus: Et quia medium ejus-  
dem est generis cum extremis, recte habitualis vo-  
catur scientia.

XXX. Scientia acquisita vel experimenta-  
lis est, quae Christus cognoscit omnia per rationis  
humanae lumen cognosci possibile. Et quamvis non  
singularum rerum experimentum ceperit; tamen  
ex similibus similia, ex contrariis contraria, ex  
causis effecta, ex effectis causas intellexit.

XXXI. Atque huc illud Luc. 2, 40. relatam  
volumus. Vbi notetur: quod duplex sit profe-  
ctus sapientiae. 1. secundum essentiam, quatenus ipse  
scientiae habitus augetur. 2. secundum effectum,  
quatenus aliquis secundum eandem scientiae ha-  
bitum primo minora, postea majora demonstrat.  
Quomodo Christus in scientia profecisse dicitur.

XXXII. In scientia igitur beata ille, quem diximus,  
profectus locum non habebit. Quia est infinita vi-  
tutis



virtutis agentis effectus, qui potest simul totum operari. Scientia verò acquisita, quia tantum ab agente intellectu, qui successivè operatur, repullulascit; ideo secundum hanc anno 12. majores, quàm in infantia: Anno 30. illustriores, quàm anno 31. motus effecit. Vide Dn. Chemnit. c. 20. de duab. nat. p. 126. a. b.

XXXIII. Haclenus de ijs, quæ mentem; sequitur nunc, quæ voluntatem perficit, Caritas, quæ sicuti est finis præcepti, legis complementum & perfectionis vinculum, nec unquam excidit. 1. Timoth. 1, 5. Col. 3, 14. Rom. 13, 10. 1. Cor. 13, 8. Ita in Christo perfectissima & omnibus numeris absolutissima fuit, Ioh. 13, 1. Rom. 5, 6. 7. Quæ de harum virtutum ad unam omnium quantitate hinc inde habentur, sciens volens, quippè intricata magis quàm proficua, prætereo. Transeo jam ad

**MEM-** XXXIV. Dona Spiritus sancti, ab Esaiâ c. II. 2.  
**BRUM IV.** enumerata, ubi 1. queritur in genere, utrum in  
**part. 3, q. 7.** Christo fuerint, 2. in specie de timoris dono.  
**art. 1.** Ad primum respondet Aquinas: Quod omne perfectum secundum ordinem nature suæ indiget adjuvari ab eo, quod est altioris nature. Cum autem de Christo scriptum sit Esai. II. requiescit super eum Spiritus Domini; & Luc. 4, 1. JESUS plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane; manifestum est inde, quod in Christi dona fuerint excellentissime



XXXV. Secundum quod attinet: Resp. In Christo fuisse timorem DEI, non quidem, quatenus respicit malum separationis à DEO per culpam: nec quatenus respicit malum punitionis pro culpa: sed quatenus respicit ipsam divinam præeminentiam, prout scilicet, anima Christi quodam affectu reverentia movebatur in DEVM à Spiritu sancto acta.

XXXVI. Porro cum caro Christi non modò sit ὄργανον ipsius divinitatis ἐν γενέσει, sed & ἐν πᾶσι σατοῦ καὶ ἐνεργητικόν; ceptoranda est adversariorum nostrorum amentia & dementia, cum Nestorio carnem Christi ad edenda miracula non plus contulisse, quàm carnem Apostolorum aut virgam Aaronis, blasphemè clamitantium.

MEMBRUM V.

XXXVII. Hoc enim inter instrumentum conjunctum & separatum interst. quod illud ipsemet principalis agentis (cum quo unum est ὑφίστατον) δυνάμει, per realem communicationem obinet: Hoc verò ipsas δυνάμεις ἐνεργείας percipit; & cum principali agente (aliàs forma per assistentiam) non nisi unum per accidens constituit.

XXXVIII. Accedunt 1. dicta virtutem efficiendæ miracula assumptæ carni attribuentia. Act. 10, 38. Ioh. 5, 35. 2. Exempla Matth. 8, 3. Marc. 9, 25. c. 7, 34. Ioh. 9, 1 quæ nihil aliud sunt, quàm fructus exaltationis hominis Christi, Marc. cap. 16. vers. 19, 20.

39. Qua



XXXIX. Quæ miracula tanti temporis sunt momenti,  
ut vel ex his solis (quicquid spiritus ille virginis  
oggniat) divinitas Christi satis evidenter de-  
monstrari possit ac evinci.

XL. Proinde sic argumentamur: Quicumque  
ex se potentiam & virtutem habet pa-  
trandi miracula, ille est verus ac æternus  
DEUS Psal. 72, 8.

- M E M  
V M U L T I  
Atqui Christus ante resurrectionem  
habuit istam miraculorum patratorum  
virtutem.

Ergo est verus & æternus DEUS  
Majorem ex Ostorodi verbis in Inst. c. 10. p. 79 §. 2.  
probo. Sic enim ait: Die Wort des Psalms 27.  
sind nicht also zu verstehen / daß niemand  
könne Wunder thun / denn nur der einige  
Gott allein / sondern daß alle warhafftige  
Wunderwerck von Gott herkommen / vnd  
er allein krafft von ihm selber habe  
solche zu thun.

Minorem idem confirmat c. 19. p. 113. §. 5. Was  
aber der Apostel belanget / welche eben solche  
Thaten / wie Christus / ja / wie sich ansehen  
lest / noch grössere / denn Christus / gethan  
haben: sol man wissen / daß wir nicht schlecht  
sagen / daß Christus in göttlicher Gestalt vnd  
gleichheit darumb gewesen / weil er Wunder  
gethan / sondern daß er in ihm selber die  
Krafft gehabt / Wunder zu thun:  
also



also daß er auch andern von der selben  
hat können mittheilen: welches denn in  
den Aposteln nicht gewesen/etc.

XXI. Manet ergo Syllogismus noster inconcussus  
vel ipsius adversarij testimonio pag. 79 sic (qui sui  
hæret dubie oblitus est) dicentis: So nun aus den  
Wunderwerken Christi solte seine vermei-  
nete Göttliche Natur colligirt werden/mü-  
ste man beweisen/daß Christus von ihra  
selber Krafft gehabt/solche zu thun/  
welches wir denn gar wol wissen (attende  
inconstantiam) daß es nicht kan bewiesen  
werden.

XXII. Verum cum hæc omnia dicta ad pium usum  
accommodanda sint: Virtutum Christi per-  
fectio, sit status deploratio. Quanta dig-  
nitas humane conditionis, quanta excellentia digni-  
tatis ultra ceteras creaturas, quanta donorum di-  
vinorum prerogativa in protoplastis, cum nulla  
adhuc peccatorum lue infecti essent, relucebat?  
Erant in gratiis, contemplatores DEI assidui,  
innocentia supari, caritate afflati, sapientiâ do-  
tati, prudentiâ fulciti, temperantiâ compositi. Co-  
git ergo ô homo, unde, & per quod huc veneris!  
Ex paradiso in miseria & lachrymarum vallem  
depressus, ex obediente inobediens, ex temperante  
intemperans, ex imagine DEI imago Diaboli fa-  
ctus es. O miserabilem rerum permutacionem!  
Ecce!




Ecce! peccatum illa ipsa est deformitas, propter  
quam te detestatur DEVS; peccatum est illa in-  
quitas, propter quam te amplexatur Diabolus:  
peccatum, inquam, illa ipsa est infirmitas, propter  
quam dissipatur totus mundus. Abstine igitur à  
malo, exercita te in bono, persevera in utroq;, &  
eris amicus DEO, Quò enim remotius à peccato, eò  
propinquius DEO.

XLIII. Miraculorum effectio sit nostra con-  
solatio. Licet in hoc immundo mundo premaris,  
confide, DEVS est, qui facit, ut ne supprimaris, Sic-  
ut in tritura paleæ grana premuntur, sicuti spi-  
næ inter flores prodeunt, & rosa, quæ redolet, cre-  
scit cum spinis, quæ pungunt: sic necesse est, ut ad-  
versitate premaris, & spinarum aculeis pungaris,  
ut majorem suavitatem odoris offeras DEO; quem  
animus ita rogamus:

Vespera jam venit nobiscum Christe maneto.

Extingui lucem, nec patiare tuam.


Fiat, fiat.













Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



OGIAS SACRÆ  
rigesima Quinta,  
De  
Virtutibus  
T  
CULIS.  
sam,  
Θσαυρωμα  
RÆSIDIO  
ARIS MEISNERE  
L.D. & P. P.  
io ad disputandum,  
ponit  
NICOLAUS  
odstadiensis Fr.  
Novemb. horis pome-  
nis  
o minori.  
ERGÆ  
an excudebat,  
CXIX.